Digitized by Google

1124.16

Digitized by Google

4

1121
16

1121-11

JOANNIS CHRISTOPHORI AMADUTII

AD VIRUM CLARISSIMUM

JANUM PLANCUM

ARCHIATRUM, ET PATRICIUM ARIMINENSEM

EPISTOLA,

Qua inſcriptiones nonnullæ Ariminenſes a falſitatis nota, qua eas Scipio Maffejus inuſſerat, vindicantur.

LUCÆ MDCCLXVII.

Typis JOSEPHI ROCCHII
Superiorum Permiſſu.

1121.16

JOANNES CHRISTOPHORUS AMADUTIUS

JANO PLANCO

Viro Clariſſimo, Archiatro, & Patricio Ariminenſi, Philoſopho, Anatomico, & in omnigena eruditione Litteratiſſimo.

S. P. D.

CUm ea ſit, Plance doctiſſime, tua in me humanitas, comitaſque, ut litteris ultro, citroque datis cumulari me benevolentia tua, informari doctrina, ſuavitate oblectari quotidie ſentiam, næ ego ſane nunc temere, aut imprudenter nimis agere videar, ſi veteres nonnullas Ariminenſes inſcriptiones a falſitatis nota vindicaturus, qua eas inuſſerat Criticæ Arti nimium tribuens vir Cl. Marchio Scipio Maffejus, diſceptationem hanc meam cum cæteris omnibus præter ſe contuliſſem, qui Urbis iſtius noſtræ præcipuum

decus univerſo litterato Orbi affulges, qui & Hygiæ & Severiorum Muſarum ſectator elegantioris ſimul veteris omnis litteraturæ Volupiæ cultorem te præbes, quique demum veterum monumentis domi tuæ collectis, nummis ſcilicet, atque lapidibus, quorum etiam nonnullos Maffejus immerito nigro theta ſignavit, iiſque per te luculentiſſimis commentariis naviter expenſis, non de patriis tantum antiquitatis exuviis, verum etiam de univerſa Antiquaria Republica ſtrenue benemereri, ut & in ceteris ſoles, perpetuo ſtuduiſti. Ne igitur ægre feras, ſi nunc ego, qui olim in tui palæſtra, in qua politiores omnes ſcientiæ traduntur, inſtructus, ea tecum præcipue ſcriptis agam, quæ tu ipſe probe calles, quæque alios edocere conſuevisti, quandoquidem dum id facio, inſtitutionis tuæ fructus uſurpari a me, eoſque tandem in te unum, cui acceptos refero, tamquam ſuo jure recidere, facile quiſque agnoſcet. Criticen ſane eam eſſe, quæ ſcientiis omnibus magnam utilitatem importaverit, doctiorum omnium ſemper ſententia

tu-

tulit: Verum ſi ea quis abutatur, utilitatem cum damno commutari, nemo non videt. Siquidem ipſis exſtantioribus quandoque rebus in dubium, & ſuſpicionem revocatis, facilis eſt in Scepticiciſmum, vel in Pyrrhoniſmum deſcenſus. Ita ſane vir Cl. Marchio Maffejus criticæ arti laxavit habenas in Libro, cujus nunc nobis copiam fecit Vir Clariſſimus, atque humaniſſimus Joſephus Garampius Pontificiis Tabulariis Præfectus eruditiſſimus, & popularis noſter, quemque Sebaſtiani Donatii Lucenſis Viri celeberrimi opera in Tom. I. *Supplementi ad novum theſaurum Inſcriptionum Muratorii* legere eſt, ut ne celebrioribus quidem ipſis monumentis parcere conſueverit, & ſimul unicuique Urbi multum detrahat, dum ejuſdem monumenta ad Spuriorum cenſum amandat, atque uno tempore Antiquitatum ſtudioſos ita in ancipiti ponat, ut Gruteriani theſauri præcipue Inſcriptionibus inſigni ſupra dimidium numero in dubiam fidem revocatis, quo ſe ipſi vertant, cui inſiſtant, quid amplius teneant, non

omnino intelligant. Quapropter e re futurum cenſeo, ſi quilibet Patriæ ſuæ monumenta ingenua tueri conetur, eaque doctorum exiſtimationi, fideique commendet. Interea ego patrias Ariminenſes Inſcriptiones poſtliminii jure integritati ſuæ enitar reſtituere, quo non ſolum boni Civis partes impleam, verum etiam antiquitatum, & earumdem cultorum bono ſimul proſpiciam.

Occurrit quapropter primum in *Arte hac Critica Lapidaria* Maffeii [a] celebris noſtra Inſcriptio, quondam reperta ad Sanctæ Crucis veteris, nunc ad Forum parieti Prætorianarum Ædium affixa, quæ ſic ſe habet:

C. CAESAR
AVGVST. F
COS
VIAS OMNES
ARIMINI. STERN

Poſtquam Maffejus ipſe eadem male traduxerat in ſuis *Obſervationum litterariarum Libris*

(a) Lib. III. cap. V. col. 465.

bris (*a*), ubi vocem COS. contra marmoris fidem expunxerat, integritati ſuæ reſtitutam iterum exhibuit inter inſcriptiones varias poſt *Muſeum Veronenſe* [*b*], quo ſane loco cum ipſe legitima dumtaxat monumenta recenſere ſolemne ſibi fuiſſe, profiteretur, mirandum quidem occurrit, quod nunc in *Arte Critica Lapidaria* eamdem inter apocryphas jacere voluerit. Mirum quoque quibuſdam videbitur, quod Maffejus eamdem damnare nequaquam ſibi piaculum duxerit, poſtquam in intemeratæ antiquitatis ſacraria uno ore recepta fuerat a tot præclariſſimis viris Simeonio (*c*), Grutero [*d*], Panvinio [*e*], Bergierio [*f*], Hennio

(*a*) Tom. IV. pag. 356. n. 26.
(*b*) pag. 364. n. 5.
(*c*) Epigraph. pag. 72.
(*d*) pag. 149. n. 2.
(*e*) *Faſt.* Lib. II. ad An. *v.* 754.
(*f*) *De viis Militaribus* Sect. XVI. §. 6. To. X. Græv. *Antiq. Roman.*

nio [a], Garuffio (b), Temantio (c), Vaillantio (d), qui eam per ſe Arimini exſcripſit, ac tandem, qui inſtar omnium eſt, & quem tamquam Colophonem addimus, ab Eminentiſſ. & vere doctiſſimo Cardinali Noriſio (e), qui pluries eam vidit, dum Adoleſcens in Ariminenſi Seminario Alumnus (quod ſane honoris noſtri cauſa juvat referre) humanioribus litteris operam impenderet. Quibus etiam accedit Sebaſtianus Bovius de Ghirardis Arimenſis in Mss. Codice de Patriis Antiquitatibus (f), qui apud me eſt, tum etiam Jacobus Antonius

[a] *In notis ad Bergierium* Lib. I. cap. 15. §. 6. cit. To. X. Græv.

(b) *Lucerna lapidaria* Cap. II. pag. 55.

(c) *Antichità di Rimino* Lib. II. Cap. VI. et rurſus ad calcem inter Inſcriptiones.

[d] *Numiſmat. coloniar. Part.* 1. p. m. 58.

(e) *Cenotaph. Piſan. Diſſert.* II. Cap. XIII.

(f) *Ad Illuſtriſs. & Cl. Antiſtitem DD. Marcellum Cervinum &c. de Patria Arimino inclyta, de Rubicone famoſo, atque egregiis, quæ Arimini exſtat, Romanorum monimentis libellus.*

nius Pedronius Civis Archangelianus, & Canonicus Ariminenſis in Tom. I. Mss. Adverſariorum ejuſdem (*a*), quæ VI. Voluminibus diſtincta nunc in inſigni Ariminenſium Gambalonga Bibliotheca aſſervantur. Mirari etiam ſane occurrit, quod, malo quodam fato, hæc inſcriptio parum fideliter a pleriſque exhibita conſpiciatur, & præſertim a Gruterio, Bergierio, & ipſo Maffejo, qui, ut adnotat Donatius (*b*) ter ipſam adfert, & ſemper variantem aliquantulum. Tandem inter cetera ejus infortunia non leve illud eſt, quod & Garuffius, & Bergierius Inſcriptionem hanc Tiberio tribuant, utpote qui animum ad vias Civitatis ſternendas, dum Pons celeberrimus ab Auguſto inchoatus perficeretur, applicuerit; cum tamen ipſa ad *Cajum* M. Agrippæ, & Juliæ Filium, & ab Avo Auguſto deinde cum Lucio ejus Fratre ado-

(*a*) *Sei Libri di Diarii di varie coſe raccolte, e deſcritte dal Canonico Giacomo Antonio Pedroni, e dal Sig. Gio. ſuo Nipote.*

(*b*) In not. ad *Art. Crit. Lapid. loc. cit.*

ptatum unice pertineat; qui Plinio majore, ceteriſque Auctoribus conſtanter dictus eſt *Cajus Cæſar Auguſti Filius*, quo diverſus noſceretur a Cajo Julio Cæſare, qui & *Cajus Cæſar* ſimpliciter dicebatur, & a Cajo Caligula, qui *Cajus Cæſar Germanici Filius*, & *Cajus Princeps* appellabatur.

Verum expendenda nunc ſunt momenta præcipua, quæ Maffejum ad Inſcriptionem noſtram improbandam adduxerunt. Negotium quapropter Maffejo faceſſit, quod cum Cajus Cæſar, Conſulatu in Syria inito, eumdem *ultra finis extremas Populi Romani bellum gerens peregerit*, ut Cenoptaphium Piſanum loquitur, de Ariminenſi in Italia Municipio eo tempore cogitaſſe, vix, aut ne vix quidem veriſimile fiat. Verum parcant mihi, quæſo, inſignis viri verendi Manes, hoc argumentum non tanti quidem eſt, ut in noſtram Inſcriptionem jure Legis Corneliæ *de Falſis* agi nunc poſſe, videatur. Nec ſane locorum longinquitas, aut Principum abſentia ea eſt, ut per ipſam iidem vel a cogitando de Provinciis,

vel

vel a benemerendo de ſubditis abducantur. Exſtat ſiquidem apud Gruterium [*a*] inſcriptio, quæ deſignatur Emeritæ in Hiſpania, quaque docemur, Imperat. Cæſarem Auguſtum VIAM. SVPERIOREM. COSS. TEMPORE. INCHO*atam*. ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE.IMPERII.LATIOREM. LONGIOREMQ. GADEIS. VSQ. PERDVXISSE. Quod ſane cum non obſcure oſtendat, locorum longinquitatem minime impedimento fuiſſe Auguſto tot rerum curis diſtento, quin ad vias regionis ita diſſitæ operam, & mentem converteret, id etiam facile ſuadet, ut ne in Cajo Cæſare quidem, qui in Syria degebat, impedimentum hujuſmodi adſtrui nunc in Ariminenſium detrimentum niſi per injuriam poſſit. Aderant inſuper non ſolum Prætoribus, & Præſidibus, ad quos viarum Militarium in Provinciis cura pertinebat, verum etiam ipſis Conſulibus Procuratores, ut monet

(*a*) pag. 149. n. 4.

Bergerius (*a*) quorum ope, niſi per ipſos liceret, viæ adminiſtrarentur. Tum conſueverant etiam Imperatores longinquis Regionibus viarum reparatione proſpicere, idque, quoniam per ſe ipſos minime poterant, per Legatos perficere ſatagebant. Docet id Inſcriptio, quæ a Sponio [*b*] refertur, quæ reperta eſt altero a Sidone Phœnices lapide, via, quæ Tyrum ducit, & in qua monemur, Impp. Septimium Severum, & Marcum Aurelium Antoninum VIAS. ET. MILLIARIA. PER. Q. VENIDIVM. RVFVM. LEG. AVG. renovaſſe. Quid ergo nunc vetat, quin idem de Cajo Cæſare exiſtimemus, qui per Procuratorem, dum Conſul in Syria degeret anno V. C. 754., vias Arimini ſternendas mandaverit, præſertim cum nihil prohibeat, quin Patronus exſtiterit Coloniæ Ariminenſis, quam proinde hoc beneficio donare voluerit, quemadmodum Lucii ejus Fratris clientelæ commendatam novimus Piſa-

(*a*) *De viis Militar. ſect.* V. §. 5.

(*b*) *Recherche d' Antiquité pag.* 193.

ſanam Coloniam. Huc accedit, quod forte, antequam contra Parthos anno 752. proficiſceretur, Ariminum traiiciens, dum iret ad Iſtrum; ut ibi Romanorum caſtra inviſeret, vel civitatis præſtantia inlectus, quæ tunc etiam *πόλις μεγάλης τῆς Ἰταλίας* [*a*] audiebat, vel Ariminenſium honoribus ſui tranſitus tempore devinctus inſigne hujuſmodi ſive munificentiæ, ſive grati animi monumentum in ipſos condere vel tunc mente decreverit, vel poſtea mandaverit, eo vel maxime, quod Auguſtum ipſum, cujus jam adoptione factus fuerat filius, cum eſſet antea Nepos, ita ad Ariminenſium urbem decorandam, & magnifici Pontis conſtructione, & viæ Flaminiæ ad eam uſque, ſive ad ipſius Rubiconem perducta reparatione, addito etiam proinde ad ipſius urbis ingreſſum Romani Senatus Conſulto in ejus honorem Arcu ſane eximio, ceteriſque in eamdem meritis ita quodammodo inflammatum conſpiceret, ut & ipſe

(*a*) *H. E. Civitas magna Italiæ.* Plutarch. in *vit. Cæſar.*

ipſe tanto exemplo ad benemerendum de eadem urbe excitari potuerit: Poſtremo tandem fieri etiam poterat, ut quoniam Auguſtus tanto in urbem noſtram amore ferebatur, ſimulque conſueverat Romæ quædam opera ſub alieno nomine, Nepotum ſcilicet, & uxoris, ſororiſque excitare, ut Porticum Baſilicamque Lucii, & Caii, itemque Porticus Liviæ, & Octaviæ, Theatrumque Marcelli, quemadmodum narrat Suetonius [*a*], Ariminenſium etiam vias ſub ipſius Caii nomine ſternendas curaverit. Quod ſane ſi veriſimile exiſtimabitur, quandoquidem nulla ſubeſt ratio, qua poſſit inficiari, ablata erit difficultas omnis quam ex allato argumento ſibi creabat Maffejus. Huc tandem accedit, quod ſi de Piſanis, ut eorum Cenotaphia apud eoſdem, & de Ubiis, ac Treveris, ut & eorum honorarius tumulus in ipſorum confinio teſtatur (*b*), nobiliſſimi juvenes Cæſares noſtri

&

(*a*) Sueton. in *vit. Auguſt.* Cap. XXIX.

(*b*) Vid. *Joh. Eberhardi Rav. Monumenta vetuſta-*

& in tantis eorum curis, & in tanta locorum diſtantia quoquo modo benemereri potuerunt; unde nam nunc oritur, ut impedimenta hujuſmodi in unius Ariminenſium civitatis damnum, & injuriam obtrudantur? Verum nunc pergendum ad reliqua.

Negotium quoque faceſſit Maffejo, quod Cajus ne poſt Conſulatum quidem ad Italiam acceſſerit, ſed bellicoſiſſimis devictis gentibus, aut in fidem receptis, diem Lymiræ in Lycia obierit. Verum quid inde? Conſtat enim, Cajum non deceſſiſſe, niſi anno V. C. 757., triennio nempe ab ejus Conſulatu, cujus ſane temporis lapſu poterat vel ipſe per procuratorem, vel Auguſtus ejus nomine Ariminenſium viarum curam ſuſcipere. Neque etiam tunc Conſulis nomen, quod ibi uſurpatum advertimus, quidquam difficultatis conficeret, quandoqui-

ſtatis Germanicæ, ut puta de Ara Ubiorum Libri duo, tum de tumulo honorario Caii, & Lucii Cæſarum in confinio Ubiorum, ac Treverorum Liber ſingularis. Trajecti ad Rhenum apud Hermannum Beſſeling. 1738.

quidem qui ſemel Conſul fuerat, tali etiam nomine circumferri poſt actum honorem ſolebat. Hinc in nummis Imperatorum geſti Conſulatus numerus tandiu idem cum creſcente ſingulis annis Tribunitiæ poteſtatis numero adſcriptus conſpicitur, donec iidem Imperatores iterum Conſules fierent, quaſi dicas *Conſul ſecundum*, vel *tertium* &c. *emeritus*. Sed hoc ſatis.

Audiamus nunc Maſſejum novis in Inſcriptionem hanc noſtram rationibus aſſurgentem. Clamat ipſe nimirum, curam viarum ad Conſules nequaquam pertinuiſſe. Verum nollem homini ceteroquin doctiſſimo, alio mente fortaſſe reſpicienti tam inſignis error excidiſſet, quandoquidem ſat eſt celebriores vias extra urbem, quarum cura ad Conſules pertinuerat, in mentem redigere, Æmiliam præcipue, & Flaminiam, quarum unam Æmilius, alteram Flaminius uterque Conſul exſtruxit, ut ſtatim mendacii arguatur Maſſejus. Quare potius in ea ſententia ſum, Maſſejum animi ſui ſenſa non ſat perſpicue exeruiſſe,

dum

dum generatim hoc aſſeruit, ſed potius illud protendiſſe, quod inferius protulit, & cui recurrere mox eſt animus, poſtquam cetera, quæ antecedunt, reſponſis diluerimus.

Quod ſuſpicionis cauſſam ingerant, ut proſequitur Maffejus, *viæ omnes Arimini*, quæ in hac inſcriptione memorantur, non prorſus quidem aſſequor; neque enim illud omnino veram exiſtimo, unam ſcilicet nominatim, aut alteram mutatam, aut reſtitutam viam ſæpe in Lapidibus conſignari, *vias omnes* numquam. Nam cum occurrant, in inſcriptionibus viæ pluraliter deſignatæ, non de una id prædicari certe non poterit, nec quiſquam mihi, quoties hæ viæ ita memorantur, de duabus tantum, non autem de pluribus, aut de omnibus ſermonem haberi, quolibet vadimonio facile ingeret. Præterea Gruterii (*a*) inſcriptionem, quam locat in Pedemonte dictionis Neapolitanæ, quæque teſtatur, FABIVm. MAXIMVM. RECT*orem*. PROV*inciæ*. VI-

(*a*) pag. 150. n. 9.

VIAS. HERCVLIS. OB. TERRAEMOTVS. EVERSAS. RESTITVIſſe. A. FVNDAMENTIS. quoniam eam ridet Maffejus [*a*] tamquam ſpuriam, quod de viis, veluti de turribus loqui videatur. Non deſunt tamen aliæ apud eumdem Gruterium inſcriptiones, quarum fidem neque ipſe Maffejus infirmare auſus eſt, quæque propterea ejuſdem argumentum prorſus eludunt; Namque apud ipſum [*b*] proſtat inſcriptio, quæ Braccaræ deſignatur, & in qua legitur: IMP. CAES. C, IVLIVS. VERVS. MAXIMINVS. &c. ET. C. IVLIVS. VERVS. MAXIM. FILIVS.&c. VIAS. ET. PONTES. TEMPORE. VETVSTATIS. COLLAPSOS. RESTITVERVNT. Et ne longior ſim, aliam dumtaxat, & eam quidem bilinguem Epigraphem ex Sponio (*c*), & Whelerio [*d*] proferam, in qua memoratur Veſpaſianus, qui

(*a*) *Art. Crit. lap.* Lib. III. Cap. IV. col. 277.

[*b*] pag. 151. n. 5.

[*c*] *In Itin. Athen.*

(*d*) *Itin.* Lib. III. p. m. 220.

qui ad Thyatira ΟΔΟΥΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ nempe VIAS. FACIENDAS.CVRAVIT. Neque quis duas dumtaxat vias heic indigitari etiam poſſe; reponat; quandoquidem ΟΔΟΥΣ plurali numero inſcriptio nobis exhibet, no autem ὁδῶ duali numero, ut ſane fieri debuerat, ſi duarum tantum viarum, ſive *unius aut alteræ*, ut loquitur Maffejus, poſteritati memoria commendanda fuiſſet. Iſtis accedit, quod ob munitam ab Auguſto viam Flaminiam Arimino tenus, & ob diſtributas reliquas Italiæ vias aliis ad ſternendum cuſa ſint numiſmata cum epigraphe: QVOD. VIAE. MVNITAE. SVNT., quod ſane nemo contra Hiſtoricorum fidem de una, aut altera via dumtaxat, ſed de multis ſentiet eſſe prædicandum. Verum ſi cui cordi ſit, quo religio omnis eliminetur, verbum OMNES. quod Ariminenſibus viis adnectitur, alio a nobis exemplo fulciri, eum nos ſtatim ad Gruterium (*a*) denuo provocabimus, penes quem

(*a*) In notis ad lib. 1. *de viis Militar.* Sect. XXI. §. 5.

quem dicitur, Auguſtum RIVOS. AQVA-RVM. OMNIVM. refeciſſe: Nec ſane fert animus, quemquam fore, qui mihi ita difficilem ſe præbent, qui contendat de viis dici non poſſe, quod de aquis uſurpatum deprehenditur. Quod profecto ſi aſſequor, jam & illud aſſequor, parum abeſſe, quin Maffejus noſter, dum talia proſequitur, nodum in ſcirpo quærat.

Tandem concludit Maffejus, ſi *viæ omnes Arimini* nihil aliud, niſi interiores civitatis vias deſignant, illas non ad Conſulem Romanum, ſed ad Municipalem Ædilem pertinuiſſe. Non id inficias eo: Verum licet viarum urbicarum cura Ædilem præcipue reſpiceret, ſciendum tamen eorumdem curam in eo præcipue ſitam fuiſſe, ut viæ eſſent ab animalibus noxiis tutæ, & mundæ, utque eſſent ſine impedimentis, quemadmodum Henninius ad Bergierium diſerte oſtendit. Neque etiam diffiteor, Ædilium munus etiam reſpexiſſe ad urbanas vias reparandas, quoties id neceſſitas exigeret, licet tamen hujuſmodi viæ ab Æ-

dium

dium Dominis ſua impenſa reficerentur & ſternerentur pro longitudinis ratione, qua ædes ad publicam viam porrigebantur. *Conſtruat autem vias publicas* (ait *l. Ædiles. D. de via publica, & ſi quid in ea fact.*) *unuſquiſque ſecundum propriam domum*; quæ lex non ſoli urbi Romæ dicta eſt, ſed etiam in omnibus urbibus imperii majoribus uſum obtinuerat, ut animadvertit Bergierius. Verumtamen ſi Conſul, cujus auctoritas etiam ad Municipia, Colonias, & Provincias Romanorum porrigebatur, quæque & ipſis locorum Ædilibus præcellebat, muniendarum viarum onus ſuſcipere voluiſſet, ut de urbe aliqua benemerendi occaſionem arriperet, quid fuiſſet impedimenti, vel quæ obſtaſſet difficultas? Etſi id in privati etiam viri erat poteſtate, cui perpetuo operum publicorum pecunia ſua perficiendorum fiebat auctoritas, ut etiam eiſdem operibus nomen ipſius poſtea inſcribi pateretur [*l. 3. D. de Oper. public.*], cur dein Principis ipſius filio, & Conſuli ſimul, ac forte Patrono vetita hujuſmodi bene-

neficii largitio erga præclaram Romani Imperii civitatem dicetur? Quin potius in ea ſum ſententia, quoties opus aliquod magnum ſuſcipiendum erat, quod vel Municipales Ærarii, vel privatorum vires excederet, ut ſane viarum omnium Ariminenſium ſtructura videri poterat, Principes, & Conſules ſibi ipſis præcipue id oneris impoſuiſſe, tamquam eorum honori id præcipue cederet, ut ſane glorioſum apud omnes gentes ſemper exſtitit. Plenæ ſunt Romanorum hiſtoriæ hujuſmodi facinorum, quæ licet ad Municipales Magiſtratus pertinerent, Imperatores, & Conſules ſibi ipſis impoſuerunt. Verum eorumdem narrationi conſulto parcimus, ne in longum nimis abeat oratio; Et quoniam nunc in lapidibus verſamur, atque de viis agitur, addere modo ſat erit inſcriptionem Cumis exſtantem, quam refert Gruterius [a], & in qua honoratur Veſpaſianus a Senatu. PVTEOL*ani* QVOD. VIAS. VRBIS. NEGLIGENTIA. SVPERIOR*um*. TEMPOR*um*. COR-

(*a*) pag. 243. n. 3.

CORRVPTAS. IMPENSA. SVA. RESTITVIT : Nec ab ea referenda abducor, quod eamdem Maffejus (*a*) in interpolationum exemplum abducat, propterea quod ibidem ſuperius a Gruterio (*b*) iterata habeatur, quandoquidem ſi de repetitis omnibus inſcriptionibus, quæ vel diverſæ ob variam aliquam lectionem temere interdum cenſentur, vel ob memoriæ lapſum tamquam non antea relatæ denuo in collectionibus exhibentur, ſimile falſitatis judicium ferre liceret, actum ſane eſſet de præſtantiſſimis monumentis, quorum fides nequaquam in dubium revocari poteſt, & quorum inſuper & hiſtoriæ, & litterariæ omnis Reipublicæ inſigniter intereſt, honoris, & exiſtimationis integritatem ſarctam tectam religioſe ſervari. Quare ſi vias Puteolanæ civitatis reſtituit Veſpaſianus, quamquam ad ejus Ædilem opus hujuſmodi pertineret quid abſurdi erit, ſi etiam Cajum Cæſarem de Ariminenſium viarum ſtructura ſolli-

[*a*] *Art. Crit. Lap. Lib. III. Cap. IV. col.* 310.
(*b*) *Ibid. n.* 2.

licitum ſeorſim ab Ædili vetuſtiſſimi marmoris auctoritate pronunciemus?

Videas quapropter, Plance doctiſſime, quam immerito Maffejus a præclaro hoc noſtro tot Romanarum Antiquitatum ſacrario exturbaverit tamquam profanum, & illegitimum Caii Cæſaris monumentum, cui jam omnium fere Antiquariorum ſuffragabatur aſſenſus, quod characterum vetus concinnitas commendabat, quod ſermonis ipſius elegantia, & nitor brevitatis aureo Auguſti ſæculo vere coævum prædicabat. An ipſe rem probe attigerim tute qui in facultate hujuſmodi inſigniter excellis, facile judicabis.

Antequam manus e tabula, coronidis loco vindicare nunc mens eſt a cenſoria Maffeii virgula nonnullas alias Ariminenſes inſcriptiones, & duas præcipue, quæ in præclaro tui Cimelio adſervantur, quæque tu etiam integritati reſtitutas, ac commentariis illuſtratas jamdiu in lucem emiſiſti. Quapropter ſi aliquantulum in *Arte Criti-*

ca

ex lapidaria ipſius Maffeii progrediaris [*a*], offendes has ipſas inſcriptiones, quarum agmen ducit hæc, quam heic ſic refert Maffejus : *Ælienus. Pet. Cæſidia*, & *Picentes. Salvete.* Hæc ſane ita exhibetur a Garuffio (*b*), & rectius a Muratorio (*c*) ex Clementinio, quam ponit Arimini in Columella: Verum nunc nos eandem ex Pedronii adverſariis [*d*] denuo proferemus, ubi ſic proſtat : ſic

Q. AELLIENVS. PEF
ET. CAEFIDIA
MATER. SVA
PICENTES
SALVETE

ſi in prima linea loco i EF. reponas P. F. ſcilicet *Publii Filius*, ut exſtat apud Muratorium, novi nihil amplius erit, quod culpet Maffejus. Si ſalutatio non arridet, conclamatum quoque erit de tot aliis In-

B ſcri-

(*a*) ad col. 474.
(*b*) pag. 12.
[*c*] pag. 1067. n. 3.
(*d*) Tom. 1. pag. 217. *a tergo* n. 49.

ſcriptionibus, quæ hujuſmodi ſalutationes præſeferunt. Donatius heic notat, hujuſmodi Epigrammatis auctorem vapulaſſe a Priſciano pro tertio verſu. Verum quæſo a viro Clariſſimo, num primum hoc erit ſphalma, vel ſolæciſmus, qui in inſcriptionibus ceteroquin ingenuis ob illas cauſſas Antiquariis notiſſimas occurrit? Sed quid juvat in his immorari?

Sequitur altera, quæ ſic ſignatur: *Ni. Maximo. Teſtamento*, in qua quid informe criminatur Maſtejus, nec quidem injuria; ſic namque refertur a Garuffio (*a*); Verum en ipſam ex Pedronio [*b*]:

FLAVIO. P. F
INI. MAXIMO
EQVO. PVBLICO
TESTAMENTO

Facile fuiſſet Maffejo illud NI emendare in ANI, nempe ANI*enſi* Tribu, ut ex veſtigiis, quæ ſignavit Pedronius, conſtat legendum; quandoquidem ignorare non pote-

[*a*] pag. 16.
(*b*) *Ibid.* pag. 214. *a tergo* n. 22.

terat, Ariminenſes cenſos fuiſſe in Tribu Anienſi, ut ex quamplurimis eorumdem inſcriptionibus, & præſertim ex illa celeberrima C. NONII. CAEPIANI, quam in tui Muſeo adſervas, quamque Maffejus ipſe poſt *Muſeum Veronenſe* inter varias inſcriptiones (*a*) vulgavit, manifeſte eruitur. Tandem ſi Tῷ TESTAMENTO addatur præpoſitio EX, quam marmoris fractura nobis ſubripuit, omnia conſtabunt.

Occurrit inde tertia, in qua hæc Maffejo male olent: *Have. Mei. Miſerere*, quam ſic Garuffius (*b*) refert, & Clementinius [*c*], quin & Pedronius ipſe (*d*), & omnium poſtremus Muratorius (*e*). Verum ſi eamdem conſuluiſſet Maffejus in Ephemeridibus Florentinis (*f*), quemadmodum a te exhibetur,

 qui

(*a*) pag. 375. n. 3.

(*b*) pag. 26.

(*c*) *Racconto Iſtorico della Città di Rimino* To.I.

(*d*) *Ibid.* pag. 217. *a tergo* n. 51.

(*e*) pag. 1005. n. 13.

[*f*] To. VIII. ann. 1747. col. 553.

qui eam domi tuæ tenes, ſe temperaſſet a calamo. Eccum ipſam:

HIC. EGO. SVM. POSITA. IRENE
QVAE. VIXI. X. VIII. KAL. HANC. MEI. MI
MISERE. POSVER. ARKA. PARENTES
FELICISSIMVS. AVG. LIB. ET. FVRFVLANA. IRENE.

Quare ſi Maffejus expreſſum noviſſet in Arca hac noſtra HANC. MEI. MI. MISERaE loco inficetorum verborum H*ave.* M*ei.* M*iſerere*, nulla de hac Epigraphe ſuborta eidem fuiſſet ſuſpicio. Quanto melius nobiſcum actum fuiſſet, ſi inſcriptio hæc noſtra in manus Tifernatis cujuſdam incidiſſet, qui quoniam famigeratiſſima illa verba emortualium monumentorum LIBERTIS. LIBERTABVSQVE exemplo fuiſſe ait veterum ſacramentariorum, ceterorumque Liturgicorum librorum concinnatoribus, ut *Animabus famulorum famularumque tuarum* in Eccleſiaſticis precibus locum facerent, alienus etiam nunc forte a dica ſcribenda in corruptam hanc noſtræ Epigraphis formulam M*ei.* M*iſerere*, ad majora erectus, ex ea quin potius præclara

com-

comminiſcendi arripuiſſet occaſionem, quæ Davidici Pſalmi LV. vel antiquitatem, vel originem aliquam non adhuc auditam exererent. Verum hæc joci cauſſa, ne fabulam ſemper ſerio agentes nobis moleſtiam conflemus [*a*].

Sed jam pergimus ad quartam, in qua diſplicent illa: *Entellus. Dedicate*, licet apud Garuſſium [*b*], Clementinium (*c*), Pedronium (*d*), & apud Gruterium [*e*], legatur: DEDICATO. Juvabit propterea nunc integram inſcriptionem exhibere ex ipſius marmoris fide, quod apud te eſt, quemadmodum etiam fideliter expreſſam a te ha-

(*a*) Vid. Ephemerides Florentinas anni 1766. n. 1. col. 9. &, ſi placet, conſule ibidem n. 6. col. 90. Epiſtolam noſtram, quam ſcribere nos oportuit, ne Tifernas Virgiliano illi verſiculo quid ſimile aliquando nobis obiiceret:

Hos ergo verſiculos fecitulit alter honores.

(*b*) pag. 34.

(*c*) Ibid. (*d*) Ibid.

[*e*] pag. 464. n. 4.

bemus bis quidem, ſed tamen ſecundo accuratius, in Ephemeridibus Florentinis (*a*):

D. M
MANSVETI
VIX. AN. X
DIEB. XII
AEMILIVS
ENTELLVS
DELICATO

Male quidem adſuitur huic inſcriptioni illud *Dedicate*, vel *Dedicato*, quod angit Maffejum; verum ſi DELICATO legatur, omnia recte procedent, licet tamen & *Dedicatus:* & *Delicatus*, ut Feſtus monet, idem audirent antiquitus. Recte ſane doces, Plance doctiſſime, in Ephemeridibus Florentinis, minime huic noſtræ Epigraphi convenire vetus vocabulum Tò DEDICATO, cum eamdem ſequiorum temporum prodat Prænominum defectus. Quare heic *Delicatus* titulus eſt affectus vel Parentum erga liberos, vel Patronorum erga ſervos, &

(*a*) To. V. ann. 1744. col. 310., & To. VI. ann. 1745. col. 830.

& Libertos, vel amicorum erga pueros, puellaſque, ut duo a te allata ex Fabrettio [*a*] exempla luculentiſſime innuunt. Titulus enim hic reſpondet omnino alteri, quem ſæpe uſurpatum in veterum monumentis advertimus erga pueros & femellas, quibus *Delicii* nomen aptabatur, vel alteri, quo infans compellatur apud eumdem Fabrettium, nempe MARGARITION, quemque Italice *una perluccia* recte exprimeres, vel tandem blande illi nomenclaturæ, qua ISSVLVS. ET. DELICIVS infans dicitur fortan ex eo Martialis verſu:

Iſſa eſt deliciæ Catellæ Publi,

quam apud eumdem Fabrettium (*b*) conſpicimus.

Quinta nunc ſuccedit, quæ defenſionis hujus noſtræ agmen demum claudet; Informe ſiquidem videtur Maffejo, quod in ea legitur: *Suoſonus Ded.*, *&* *Alumno. DDD.* Extat hæc quidem apud Garuffium (*c*), &

(*a*) *Inſcript. Domeſt.* Cap. V. n. 101. & 102.
[*b*] Loc. cit. a pag. 43. uſque ad 45.
[*c*] pag. 35.

& quamquam revera ibi legatur SVASANVS, corruptela tamen non omnis tollitur. Quare ex Pedronio (*a*) eam proferemus, apud quem ſane eſt accuratior:

M. SVASANO
SERVATO. VI. VIR
M. SVASANVS. DEC......
............VI. VIR
MAESIA. IANVARIA
ALVMNO
OBSEQVENTISSIMO
D. D. D.

Quo ad tertiam lineam, ubi occurrit Tò-*Ded.* obmutuiſſet Maffejus, ſi ejus loco expreſſum vidiſſet truncatum DEC....., quo cognomen aliquod obtendi noviſſet, ſcilicet vel DEC*embris*, vel DEC*imini*, vel DEC*ini*, vel DEC*ebali*, & ſimilium, quæ in veterum inſcriptionum Collectionibus plena manu colligere eſt. Poſtrema autem illa ſingularia D D D. ne a me quidem omnino probantur. Non enim quæ uſurpari erga Principes, Patronos, & viros nobiles, quæ-

[*a*] Ibid. pag. 215. *a tergo* n. 34.

quæque honorariis formulis accenſeri conſueverant, decent Nutricem erga Alumnum, neque emortuali monumento recte conveniunt. Ceterum ſi per litterulam ſuſſectam legatur: L. D. D. D. nempe *Locus. Datus. Decreto. Decurionum*, tunc quoquo modo ſuſtineri inſcriptio poterit, nec forte, cum integer eſſet lapis, aliter legebatur. Verum cui bono nobis adeo laborandum de inſcriptionis fragmento, quæ an vera, vel falſa ſit, parum quidem refert?

Poſtremo tandem monumentis ſubleſtæ fidei accenſet Maffejus duas inſcriptiones, quarum prima ſic legitur apud Garuſſium (*a*), & apud Clementinium [*b*]:

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVG. PONT. MAX.COS.XIII
TRIB. POT. XXVII. P. P. MVRVM. DEDIT
CVRANTE. L. TVRNO. SECVNDO APRONIAN
PRAEFECT. VRB. FL.ACTERIO.V.C. CORRECTORE
FLAMIN. ET. PICENI

Hoc loco offenditur quidem Maffejus *Correctoris* munere, quod aliquot tantum poſt

 Au-

(*a*) pag. 55.
[*b*] Loc. cit. *Lib.* 1. *pag.* 30.

Auguſtum ſæcula eſt auditum, nempe, ſub Severo, & Antonino Caracalla, ut Samuel Pitiſcius (*a*) affirmat, qui & hanc inſcriptionem ex Panciròl. ut apparet petitam timide uſurpat. Verum cordatiores & ipſi Ariminenſes monumentum hujuſmodi ab eorum Aris, & Focis ablegare non dubitarunt, licet diverſis adducti rationibus. Scilicet tute ipſe, Plance doctiſſime, in Appendice tua I. ad famigeratiſſimum *Specimen Æſtus reciproci maris ſuperi ad littus, portumque Arimini* [*b*], quod celeberrimo alteri libro *de Conchis minus notis* adnectitur, inſcriptionem hanc ipſam luculentiſſime improbas, dum ex reperta in veterum quorumdam urbis noſtræ mœniorum everſione Pila illa ingente marmorea C. NONIO. CAEPIANO. inſcripta, in qua quinque Judicum Decuriæ memorantur a Cajo Im-

(*a*) *Lexicon Antiq. Roman.* verbo *Corrector.* & Pancirol. notit. dignit. orient. lib. 1. cap. CLVI. & lib. 2. cap. LII.

[*b*] Ad Cap. LII. pag. 72. lin. 14. edit. ſecund. Romæ 1760.

Imperatore vulgo Caligula dicto inſtituræ, cum antea quatuor eſſent tantummodo, probe conjeciſti, murum publicum Ariminenſium non ab Auguſto, neque a priſcis Romanorum Imperatoribus fuiſſe conditum, qui in eo condendo piaculum ſibi duxiſſent Romanorum ſuorum monumenta in fundamentorum conſtructione inſumentes tenebris perpetuo dedere, ſed vel a Belliſario contra Gothos nondum ab eo Ravenna exactos, vel a Langobardorum Ducibus ſequioribus ſæculis fuiſſe exſtructum, quo ab Exarcharum aggreſſionibus urbem noſtram tuerentur. His addi poteſt, quod nullus, Auguſto imperante, Apronianus, qui in hac inſcriptione memoratur, urbi præfuit, ſi Contelorius, & Corſinius in Præfectorum hujuſmodi ſerie conſulantur, ſed Statilius Taurus, & L. Piſo, ut Tacitus [a] ſcribit. Quidam Rufius Turcius Apronianus urbi præfuit ſub Valentiniano, ut ſcribit Ammianus Marcellinus [b], & ut ex Gotho-

(a) *Annal.* Lib. VI. *cap.* II. 5.
(b) *Lib.* XXVI. *Cap.* 3.

fredii Proſopographia Codicis Theodoſiani plenius evincitur.

Altera vero ea eſt, quæ apud Garuffium (*a*) proſtat, & quæ ſic legitur:

C. CAESAR. DICT
RVBICONE. SVPERATO
CIVILI. BEL. COMILIT
SVOS. HIC. IN. FORO.
AR. COLLOCVT

Verum jam inter Spuria, & ſuppoſititia eamdem rejecerat ipſe Gruterius (*b*), nec defuerunt inter noſtros, qui hoc monumentum tamquam recenter confictum conclamaverint, ac præſertim Carolus Franciſcus Marcheſellius in poſthumo ejus Libello (*c*) cui edendo, & amplificando Tu ipſe, & Joann. Baptiſta Coſtius Pictor ſtuduiſti. Ceterum Richardius bonus quidam Gallus in ipſi-

(*a*) *Cap.* II. pag. 48.
(*b*) pag. V. n. 4.
(*c*) *Pitture delle Chieſe di Rimino. In Rimino* 1754. *Nella Stamperia Albertiniana* pag. 36.

ipſius Itinerario nuperrime edito (*a*) tribuere aliquid videtur Cæſarianæ huic inſcriptioni; verum næ illæ laterem lavit, ſi ad ipſius delicias nos erigere ſui auctoritate putavit, vel grates a nobis pro tanto merito præſtolatur.

Neque tandem a Maffejo diſſentimus, qui (*b*) inter ſpuria habet *Caii Marii* elogium, quod & a Clementinio (*c*), Garuffio (*d*), Bovio [*e*], Pedronio [*f*], quin & a Dempſterio (*g*) locatur Arimini, quodque refertur etiam paullo aliter, nullo loco deſignato, a Grutero (*h*), a Gorio (*i*), qui Ar-

(*a*) *Deſcription Hiſtorique, & Critique de l' Italie par M. l' Abbè Richard. A Dijon* 1766. *Tom. VI. Part. II. Cap.* 53. *pag.* 465.

[*b*] *Art. crit. lap. lib. III. cap. IV.* col. 338.

(*c*) *Lib. cit.*

[*d*] *pag.* 46.

(*e*) *MSS. ſupra cit.*

[*f*] *Diario ſupr. cit.*

(*g*) *Antiq. Roman. Lib. V. cap.* 36.

(*h*) *pag.* 436. *n.* 3.

(*i*) *Inſcr. Antiq. P art. II. pag.* 248. *n.* 8.

Arretii ponit, a Piccartio (*a*), qui locat Romæ in Quirinali in domo Pomponii, a Boiſſardio (*b*), ac demum ab Auguſtinio [*c*], quandoquidem novimus *in corrigendis* & *animadvertendis* ad calcem Gruteriani theſauri (*d*) ita effari: „ Q. Fabii, Cæcilii „ Metelli, C. Marii elogia elegantiſſima „ ſunt, ſed ſine dubio e ſcriptore quodam „ virorum illuſtrium deſumpta, qui longo „ intervallo ſecutus ſit ævum eorum, & „ mihi conſtat, unius auctoris eſſe". Ceterum ſcimus, Ariminenſes Marii partibus addictos fuiſſe, quod etiam cauſſæ fuit, ut Sylla Dux alterius factionis eorum civitatem vexaverit, ac dirripuerit, quemadmodum narrat Cicero [*e*], & ut conſtat ex Aſconio Pediano [*f*], qui id factum fuiſſe Albinovani proditione, affirmat. Quare ſic ait Ci-

(*a*) *In Collect. n.* 62.
(*b*) To. III. pag. 118.
[*c*] *Dialog.* X. pag. 266.
(*d*) pag.6. *col.* a
[*e*] *Act. III. in Verr.*
(*f*) *In ejus ſcholiaſte.*

Cicero: *Oppidum ſibi elegit Ariminum, quod tum, quum iſte rationes referebat, oppreſſum, direptumque erat;* & heic ſic addit Aſconius: *Hoc oppidum Albinovanus Sullæ prodiderat Dux ipſe Marianus.* Forte hinc factum, ut commentitium hujuſmodi Marianum elogium Ariminenſibus quidam tribuere ſe poſſe, impune exiſtimaverint.

Sed jam opus noſtrum ad umbilicum perduximus. An ego quidem & Caii Cæſaris Epigraphem, & cetera Ariminenſium monumenta recte a Maffejanis dicteriis, criminationibuſque vindicaverim, nemo te melius, Plance doctiſſime, noſcere poterit, aut ſi quæ minus ſcite prolata exciderint, nemo etiam te melius iiſdem emendandis, expungendis, aut corrigendis par erit. Ceterum poſtquam Gruterius a theſauro ſuo exſulare juſſerat Piſana decreta de honoribus Caii, & Lucii Cæſarum, & tamquam *hodie, aut heri nata, & ab Italo conficta* pronunciaverat Scaliger [a], & poſtquam idem

(a) *Epiſt.* 479. *ad Gruter.*

idem Gruterius [*a*] inter Spuria retulerat præſtantiſſimi Arcus noſtri Epigraphem, & ſi unuſquiſque, qui ſano ingenio fruatur, ut notat Maffejus ipſe (*b*), inſcriptionum in Templorum, Arcuum, & veterum quorumcumque Ædificiorum fronte perampla littera præfixarum auctoritatem, & fidem agnoſcat, hoc tandem reſtabat unum, ut novum vulnus & in Caii Cæſaris memoriam, & in Ariminenſium decus infligeret Maffejus, ut hactenus vidimus; cui ſane proinde occurrendum ſtatim duxi, ne & in Cæſarem de nobis benemeritum, neque in Patriam mihi quidem dulciſſimam ultra ſerperet injuria. Quare donec exſtabit hoc qualecumque noſtræ in Patriam pietatis monumentum, ſimul manebit ingenuum noſtri erga te, Plance doctiſſime, non tam grati animi, quam inſignis ſtudii, & ſummæ obſervantiæ teſtimonium, quo omnibus conſtet non ſolum quantum tibi nos debere profiteamur, qui ſi aliquo ſcientia-

(*a*) pag. VI. n. 5.
(*b*) *Art. crit. lapid.* Lib. III. Cap. II. col. 162.

tiarum genere informamur, & ſi harum lautitiarum amore tenemur, omne illud, quantulumcumque ſit, a te uno in nos profluxiſſe ſentimus, tum cuilibet etiam innoteſcat, quanti te facere, & qua reverentia præclaras virtutes, quibus mire excellis, ſuſpicere conſueverimus. Verumtamen nihil aliud nunc reſtat, niſi ut hoc ſtudium noſtrum, licet citra meriti tui dignitatem, æqui, bonique conſulas, quo etiam nomine nos tibi devinctiores futuros, pollicemur. Sed jam finis ſit: verum non niſi poſt nuncupata more majorum vota. Deus igitur Optimus Maximus, qui tibi virtutem, ingenium, ſapientiam cum fama, honore, & laude impertivit, harum rerum fructum velit eſſe maxime diuturnum, & æquare tuæ vitæ ſpatium cum iis bonis, quæ in te ſumma contulit, ut Litteraturæ, quamdiu vixeris, præſidio ſis, & ornamento; vivas autem, quamdiu vel temperantia duce, vel naturæ lege licebit. Vale.

Datis Roma ad *Theatrum Pompeii* XIV. Kal. Julias anno a Chriſto nato CIϽIϽCCLXVI.

JANUS PLANCUS

AD VIRUM CLARISSIMUM

JOANNEM CHRISTOPHORUM

AMADUTIUM

IN RE ANTIQUARIA PERITISSIMUM S.D.

SUperioribus diebus uno eodemque publico Tabellario binas humaniſſimas litteras Tuas accepi. Primam quidem Latinam eamque a. d. XIV. Kal. Julias; alteram vero Italicam ſeptem diebus poſt ſignatam, in quibus & præſertim in Latina, doctrinam, & eruditionem tuam perſpicio, ſed quod caput eſt in utraque benevolentiam, amoremque ſingularem erga me tuum cognoſco, pro quibus & gratu-

tulor tibi, & pro eo, quod ad me attinet, gratias tibi ago maximas, & tantas, quas verbis vix ſignificare queam. Laudo præterea pietatem tuam erga Ariminum communem patriam noſtram, qua eam vindicas ab injuſtis cenſuris, quas inuſſerat Veronenſis ſcriptor ille præclaris quibuſdam monumentis antiquis, quæ in ea adhuc exſtant, & de quibus eam non mediocriter gloriari decet, neque debitis honoribus ſcriptor ille impotens eam umquam privare poterit. Proboque ſimul vehementer cogitationem tuam, ut eam Epiſtolam, quæ latina eſt publici juris facias, & præſertim quo ad eum lapidem, qui primo a te defenditur, & a falſitatis nota vindicatur, qui eſt de *Cajo Cæſare Auguſti filio*, in quo COS. legi noluerat Auctor ille in Ephemeridum ſuarum

quar-

quarto Tomo pag. 373. n. 26. Cui *Obſervationes Litterariæ* nomen fecerat, aſſerens Gruterum *de ſuo addidiſſe* Tò COS. ſed monitus a me per Segnierium amicum noſtrum, & ſocium ſuum, eum locum correxit in Tomo ſequenti, & Tò COS. in lapide revera reperiri faſſus eſt, ut ego Segnierio ſuaſeram curaret, ut faceret, addens, & Tò COS. illud a Noriſio Cire æque noſtro ac Veronenſi in Cenotaphiis Piſanis ſcriptum fuiſſe, qui lapides noſtros ipſemet heic legerat. Hoc *Parorama* ſuum aperte iterum faſſus eſt in Muſeo Veronenſi pag. CCCLXIV. n. 5., quamquam ibi aſſerat in ea re a nemine fuiſſe monitum, ſed ex ſuo autographo inſcriptionem ipſam correxiſſe. Verum apud me exſtat adhuc Segnerii epiſtola, in qua a me quærit an Tò COS. illud in marmore

no-

noſtro revera legatur, ut id legerat Gruterus, Noriſius ſcriptoreſque alii bene multi, ut noſti. Verum parcendum ſcriptori illi, ſi vanitatem tantum de infallibilitate ſibi arrogaſſet; attamen ne notam prioris ejus negligentiæ apud eruditos ſubiret; ſeu manifeſtiſſimi *Pararamatis*, quod in Veronenſi Muſeo confeſſus ingenuerat, in ſupremo illo Artis ſuæ Critices libro, quique poſthumus eſt, circa lapides antiquos, qui ſane liber farcimen quoddam eſt indigeſtum morientis ſenis, & pene delirantis, oblitus quæ ingenue faſſus erat bis, ut vidimus, quaſi inſcriptio hæc res pene nullius pretii eſſet, omnem lapidem impotenter movet, ut hanc genuinam inſcriptionem adulterinam faciat, ut & alias quaſdam noſtras, & aliorum, necquicquam, quoniam & per te, & per alios

ve-

vere ſapientes Viros genuinæ & inviolatæ manebunt. Vale.

Datis Arimino Ipſis Kalendis Juliis Anno a Chriſto nato CIↃ IↃCCLXVI.

9961032